


Vd  
1215



Bd. 4972b.



# TRIGA

*Curiosorum Fragmentorum*

# POLONIAE

*præsentem statum  
adumbrantium.*



---

COLONIÆ,  
ap. Petr. Durandrum. 1705.

TRIGA

Concordia et Fratrum

TOTIUM

TRIGA

mu



LIBER I  
EXCELSIT  
SACRAE SCRIPTURA  
IN CETERIS LITERIS  
POLONIAE  
POLONIÆ  
POLONIAE  
POLONIAE  
POLONIAE  
POLONIAE


FRAGM. I.

five

EXAMEN MANI-  
FESTI  
**S T A N I S L A I ,**  
SVECIÆ GRATIA  
NEO-ET PSEUDO-ELECTI  
POLONIÆ  
institutum  
**E Q V I T E P O L O N .**  
ab  
&  
consecratum

**S T A T I B U S ac O R D I N I B U S**  
**P O L O N .**

VARSOVIÆ KAL. NOVEMBR.  
ANN. M. DCC IV.



Xorditur Manifestationem suam Neo- & PseudoElectus  
ab excusatione, quod Illum non in tantum ambitus  
Dominandi occupaverit, ut omnem omnino exclu-  
serit memoriam & respectum libertatis, que dat Ju-  
ra Regnantibus.

Non diffitetur, ut manifeste patet, quod illum ambitus  
Dominandi occupaverit, & male sana Regnandi libido, in sua  
pariter, & publica, immiserit fata; quod negare etiamsi ma-  
xime veller, non potuit. Illo enim tempore promovit &  
perfecit funestam inaugurationem suam, quando Elbingense  
suscepserat iter, Limitat tantum ambitum suum, quod illi non  
omnem omnino abstulerit libertatis memoriam. At orbis  
reclamat universus, nullam ipsum libertatis habuisse memo-  
riam, imo oblivionem extremam & supinam, quando se in  
præsentia, armati exercitus Suecici, sine Ordinibus Reipubli-  
cæ, vivente Principe legitimo, conculcatis legibus, & Jure li-  
bertatis cardinali, quin & oppositionibus Protestantium Ci-  
vium, per Generalem Horn se intimari Regem, non tantum  
permisit sed specie recusantis atque propudiosissimo & ne-  
fandô Accismô Tiberium imitaturus flagrantissime con-  
cupivit, per dictatorium, Hic & non aliis, ad extremam Pa-  
triæ ruinam, & exitium. Melius ipsi fuisset, si natus non  
fuisset.

Progreditur in Manifestatione sua, quod non prius supra æqualita-  
tem attollî velit, quam convulsa libertatis Jura, in suo steterint  
Cardine, cui vitam & omnes fortunas suas sacravit.

A

Re-

Revera ridiculus mus! Evolaverat quondam aquila, in ordine, ut eligeretur Regina volucrum, regulus occupaverat caudam Aquilæ, Aquila recepit principatum & coronam, regulus caudam, & quæ sub cauda. Fabula de Te Stanislae narratur, prius vitam & fortunam perdes, quam Coronam acquires; Cujus fortunæ grandem jam suscepisti ruinam, si non ultimam, libertas vero constabit sibi semper, quæ nec dum suis mota cardinibus. Per internas nutavit quidem discordias, interim stat adhuc immobilis stabitque. Suprema Civium deploranda oblivio cum exclamantione? En quo discordia Cives produxit miseros.

**C**ontinuat manifestationem: *Neo- & Pseudo-Electus; Qvod, si supra ceteros extulerit Caput, non alio id fecerit fine, quam ut se eminentiorem supra ceteros, hostibus Patriæ statueret metam.*

Caput erexisti quidem, demittendum tamen erit certo, Cornua fronte geris, Hunc Tu Polone caveto! quibus cornibus primo exaltationis Tuae die, Patriam eventilaasti libertatem; per potentiam, & impositionem Regis Sueciæ Imperio, formatus electus: alias ferale monstrum, in ominosum Republicæ exitium. Ejusmodi enim Electus subsistere nullo modo potest, nisi iisdem principiis, quibus cœpit; hoc est per vim & robur externum. Jam vero nihil tam instabile, & fluxum est, quam fama potentiae, visuā non mixæ. Persona Tua, dum se dixit ideo erexisse Caput, ut hostium ictibus, ante alios pateret, prima nimium se deprimendo extollit. Longe supereminet omnes Serenissimus Rex Augustus, ad quem ictus hostium collimant omnes annis jam aliquot, interim extra ictus omnes, & cui hostis ut noceat, videtur jus habere nullum; nisi forte exarmatas recipiendo Urbes, quæ nihil sperarunt minus, quam ex hospite tali hostem tantum; qui vastatore gladio, extremâ omnes opprimit ruinâ.

Subj-

**S**ubjicit censura totius Republicæ, Neo- & Pseudo-Electus, totam ab incunabulis vitam suam.

Quid opus est censura, & examine; Vidimus & plane indoluimus natum; Sensimus in puerō Gubernatorem Urbium, in adolescentē immaturum ad Consiliā Senatorem; & pro tam immensis à Clementissimo Principe collatis beneficiis, ingratum cuculum.

**I**nvenit nos ait, ex uno fonte Regnantis, tanquam ex Vesuvio, extuans in perniciem Patriæ calamitas publica.

Verba tumido crepere sono. Ergo aquilonaris monvenda Æolia fuit, ad inflammandum Patriæ incendium, ut Rex Gothicus, ad fumantis Poloniæ ignes, optatam pararet offam sibi, suaves stomacho regustando bolos: quasi Patriæ Cives, restinguendis impares essent ignibus, quos restinxissent indubie, si Lublinenium sancta Comitiorum, ad optatum deduccta fuissent eventum.

**N**on tenebamur inquit, in manifestatione sua, ad fidelitatem illi Principi, quem, ut facerent mortalem omnes, intererat omnium, ut Illius beneficio mortalitatis immortalis excitaretur Republica, & eriperetur de manibus, tam ingrati Principis.

Alta petis Phaeton, & quæ non viribus istis,  
Munera convenient.

Quanta impudentia, quanta ferocia, & sine mente, & sine ratione, expressio, immortalem excitare Rempublicam; quæ si immortalis, ergo nunquam moritur, & si non subjecet morti, ergo nec excitari potest. Soli mortui Anastasini expectant. Et tu metire quod audes, num pares vires habeas, ut de manibus eripias sceptrum, quod immanni, & flagitosâ præsumpsisti Te erupturum dextrâ. Longè majores habet causas, & tirulos, damnandi ingratitudinem, Rex Serenissimus AUGUSTUS, qui totam plane exhaustis Saxoniam, cum avitis Antecessorum suorum thesauris, collatis

quoque per justitiam distributivam, primis & summis regni dignitatibus, & honoribus; hæc omnia in illas conferendo Domos, quas cum potuisset facere nullas, fecit summas. Pro quibus omnibus, eam recepit malitiæ barbariem, cui sola nisi sufficiat admiratio, & stupor; *nam ingratis boni nibus nihil peius produxit terra.*

**J**actat tandem Nominatus Svecie, an Polonia, Stanislaus, quod à nemine reprehendi posset.

Omnis reprehendunt, & damnant, tanto Reipublicæ malo natum caput, quod utinam periisset millies, quam tam in auditio prostitutæ libertatis exemplo, violenter coactam inter arma exteri militis induxisset eligendi formam. Tunc derum Stanislaus Lesczinsky extulisset Caput, si potius illud ad gladios inclinasset hostis, inconcusso & incorrupto animo, quam ad Coronam erexisset Regni, illud allegando scripturæ: In Domo meanon est Panis, nolite me confitruere Principem. Hic omnes diras movet contra AUGUSTUM Regem, tanquam libertatis violatorem, quam ipse sursum & deorsum evertit, igne & ferro Suecico longè lateque Poloniæ devastando.

**I**nvitat ad Confœderationem, libertatis columnen unicum, in vocando omnium presentium Civium, & vota, ad unionem animorum, in Augusto Campo Eleitorali; sed quam, incursio militis Saxonici, metus & diffidentia ad Regem Svecicum, retardabant.

Oridiculam Convocationem! ad totius opprobrium Nominis Poloni, Comœdiam, potius dixerim Tragœdiam? Invitabamur ad unionem, interim de nobis, sine nobis conclu-debatur, non auditis vix non omnium Palatinatum prote-stationibus, & solennibus, in Castris manifestationibus; Quapropter mancipatos alienæ Potestati videndo Sensus, ad vocem istam, veluti ad rugitum Leonis exhorruimus; Ne que

que ad Saxonicas obsurduimus incursiones, quoniam bene ante illas, Sandomiriensis stetit Confoederatio. Hoc pro indubitate censeri debet, & haberi, quod causa omnis absentiae, defectus confidentiae, ad Regem Gothicum, qui sub Nomine amicitiae, crudelissimum exercuit exercetq; hostem, qui sub Nomine amici, hospitis, & Socii, ubiq; in Polonia, plusquam hostilia exercet, à primo ingressu suo Liberam Nobilitatem Poloniam, in rotas agendo, nec tam Majestatem Regiam, quam carnificinam exercendo, cuius foeda, & tristia, nec seculis multis delenda extant, spectacula, per majorem minoremq; poloniam & ubi denique pes stetit Sueciae plusquam Tyrannicus. Mitior esset Leo, quem pro tessera gerunt quam ipsi. Tali agendi methodo, potuitne aliquem, ad Electionem evocare. Orcus rapiat, humanitatem tantam. Ostendat pars adversa vel minimam crudelitatis tantæ in Augusto Rege imaginem & umbram; querere possint sæculis omnibus, invenire nunquam. *Cujus vindicta Summa malefactoribus suis, fecisse bene; ad stuporem Orbis Christiani, omnia omniū extinguendo Optimorum nomina, ut qui jure justo, perdere posset omnes, vivere faciat omnes.*

**C**ontinuat Idem Electus, nihil restabat nobis, nisi annuere votis Electoris populi.

Infelicia vota, Grex pusillus, nos duo turba sumus. Quæritur etenim decas Nobilitatis, iste ne Elector Populus? Semiternio Senatorum, istene Senatus? Majoris Poloniæ, minoris, & totius Ducatus Magni, Lithuaniae absentia; istane frequentia? Nisi forte inter Electoralem Populum, miles Suecicus computetur, qui ut elegit Stanislauum, ita illum detineat Stockholmii in casum caducitatis Augustissimi Poloniarum Regis Augusti Secundi. Apud nos etenim à tota Respubliba nomine reclamante, atque sub legitimum Interregni tempus, eligitur Rex ritè & legitime; & dato casu scis-

sionis alicujus gratiis trahitur & pars diversa, ad accessum concordem, & non terrore armorum & suppliciorum; Alias actum esset de liberâ electione & plures numeraremus in Polonia Reges *Lotcietbos*, quam mures vel regulos quadrupedes, si unius aut alterius consensu Palatinatus bene ante, precibus vel pretiô conducto Episcopo quicunque demum hic & nunc placeret, per proclamationem absurdam, nominaretur Regnaturus.

**Gloriatur, qvod ipsius Electio, nemine reclamante stet orit.**

Hic demum oracula locutus. Quisquamne reclamare potuerat cum plane nullus adfuerit? parum enim pro nihilo respectu Electoris Populi reputatur; et si aliquis voluisset reclamare, stabat prope Generalis Horn violentas intentando manus, si quis vel hiscere præsumpsisset. Inauditum violentiæ documentum, Gloriosissimus Dominus *Jaruzelshi*, Vexillifer Bielsensis, qui cum pro iñata libertate & sibi generositate reclamaret, aure libera audivit verba, solo nisi Gethio, hoc est servili proferenda ore. *Dic isti neqvisimo Nebuloni, qvia nisi hodie consenserit, cras gladio & igne peribit.*

**P**rocedit tandem in manifestatione suâ non sine passione Neo-Electus afferendo, qvod non alio fine, hanc Coronam spineam velit Capti imprimere suo, tantum ut ex hac passione ejus, restorescat in libertatibus suis Patria.

Ergo Auream Poloniæ Coronam, pro spinea habet Stanislaus? Coronâ spineâ, quando coronabatur Salvator noster, eo vel maxime tempore, magnis Judæorum expositus fuit opprobriis & ludibriis. Num forte & Tu similem per Suecos expectas inaugurationem, per Cachinnos, explosions, risus denique & subsannationes, Rex ab illis conclamatus Scenicus, & chymericus, ne dicam Ardelio. Interim ante  
ocu,

oculos Tuos, ante faciem Tuam, Fortalitia Poloniæ ad ultimam deducunt ruinam, tormenta alia evehunt in Sueciam, alia pulvere nitrato onerata nimium disrumpunt, thesauros, deposita Nobilitatis diripiunt, Argentum & calices aureos, ex Ecclesiis inter summas Cleri violentias asportant, nec tantum pecuniam, ex depauperato summe Populo, sed ipsum emungunt sanguinem. Contra futuram Porthæ Ottomanicæ potentiam, metropolis Russiæ Leopolis, quod munimen habebit, contra incursions Scythicas quomodo se tutabitur; patentes injuriis hostium, quomodo Rex dolorum spinosè defendes? quæ ratio Tua vivendi, in qua dominaberis arce, quod nobilitati concivibus & confratribus Tuis, cum charis pignoribus suis reclinatorium & asylum; quando ne minimum quidem Sclopetum, in arcibus reliquum fecerunt. Sic & ex Tua Persona, & omnibus qui Tibi adhaerent, æterna labes, nec reparabile Nominis Polono damnum; ut jam videamus & sensimus, sub hac Spinea corona Tua, Dominicam Lætare, æternum despicio debemus, Dominicam vero passionis solennisfare semper. Sic eveniet ut de Te quoque dicatur, Stanislaus inter Prophetas, nec illos minores tantum, sed majores etiam divinabit, quod ex Passione sua, dum in montibus Sueciæ Gologathæis crucifigeretur reflorescat aurea Patriæ libertas, alias extrema Nos manet Servitus, si Te vel pro Pseudo Rege agnoscimus.

Sic cum Rex dolorum Stanislaus Christum se jam fecerit in spinea Coronatione sua, & futura indubie acclavatione sua, audet Ejusdem Christi usurpare sibi innocentiam, allegando salvatoris verba: Quis nos arguet de peccato? Nihilum quam superbe & tumide, ne dicam impiè, & sacrilege; Ecce Judex Deus arguet Te de peccato perfidiae, & insanæ ambitionis: jam enim pridem pax acta fuisset modo quid  
Tecum

Tecum factō opus sit deliberamus. Serenissimus enim Rex AUGUSTUS Noster, nunquam se Regno pelli patietur. Utriusq; Dominii tam Suetici quam Saxonici, par durationis ratio, imo Saxoniae vel ipsum nomen, æternitatem inscribit quandam, Arguent de peccato oppressiones, lacrymæ, depauperati extreμe Populi, quæ Cœlos penetrant ipsos, corq; petunt Dei: quas lachrymas detersisset jam miser populus, nisi Te incendiario, erupisset iterum flamma, extreμo Poloniā absorptura incendio, Majorem Poloniā in hæc inducendo abrupta, quæ idem nobiscum sensisset, ivissetq; in vota Lublinensium Comitiorum. Arguet de peccato Sacrilegii vindex Polus, quod Te spectante decora domus DEi, diripiuntur ab iis, cum quibus Tibi familiaritas summa, & in quibus majorem spem & fiduciam reponis quam in DEo, Tu interim spectas & taces, si forte taces, & non potius vel ipso vocali silentio Tuo annuis & animas, ut strenue inceptam Sacrilegii absolvant scenam.

**T**oto errat cœlo qvisquis detronisato adharet Principi, censendo quod in nostram tantum, sit injurius personam, exiguum Caput nostrum indignationis Augustæ objectum, per latus nostrum publica petitur fortuna, sic asserit in sua manifestacione infaustus Neoelectus.

Spem in DEo reponimus, unius interitu Leszchynii, nec dum totam peritoram Patriam; sublimi verticē tollunt se adhuc, firmiores in Polonia arbores, & robustiores, quam Corylus, firma stat radice non una Cedrus, quæ labantem fulcire Sarmatiam possit; Portentosa superbia & tumor, affectatus fastus quidam. Vident AUGUSTUM in Polonia tota, adorari caput & Nomen; non recognoscendo alium Regem nisi Augustum: interim illi, ne infimâ quidem classe dignum Detronisationis affingunt Nomen, per temeritatem summam & plusquam Stultitiam puerilem; Centoculum putat se esse Argum,

Argum, qui plura unus in Principe videat, quam omnes? Argus revera, sed in fabulâ, a Suecico decapitandus brevi Mercurio, cui Sannas inter inscribat Polonia?

Arge jaces, quodq; tot in lumina lumen habebas,

Extinctum est, centumq; oculos nox occupat una.

Ulro permittimus, & quidem candido pectori & sincero, quod Nobis vel cum Capite ipso, violentissima manu detrahatur Corona; sed supremum in Vindicias justissimas invocamus DEUM, quod detractione Coronæ, & Capitis Nostris, totius Poloniae detrahatur Libertas.

Timet sibi de Corona Stanislaus, quam nec dum fronte gerit; absolvimus illum timore tanto: Rex ille dolorum est, sub Corona Spinorum, quam affectat nullus, recusant omnes; De aurea hic agitur Corona; motus hic tantus, de laboratis ex auro solido sceptris. Aurea quantumvis esset, cadet de Capite, & cum Capite simul, acephala alias futura Polonia, si impostorem & usurpatorem tantum, vel de genu unico somniaret adorare; ultroq; sub jugum Svecicum regnaticem inclinare Cervicem, Gothicum veneratura semper Regem & in visceribus habitura, tanquam Tutorem Pupilli Orphanii te nelluli miserrimi, plorantis, & deplorati Stanislaunculi; quod nunquam fiet, futuro enim vere, nostris debebit excedere Terris, extrema pressus inopia famescentis jam & vix non emorientis, spectaculo Regni. Videt deniq; jam nihil in tota plane restare Polonia, quod Prædo hic Regnum rapaci possit clepere ungue; Te interim inermem omnino relinquet, primam iturum in prædam, non tam furentis, quam ulciscientis, se jure merito populi, tu interim resiste omnibus unus, si te tricorporem censes, Geryonem, centimanumq; Briareū.

Objicit, Princeps dethronisatus Regi Vandalico, quod sit oppressor Libertatis: Res ipsa loquitur oppressorem, innoxiam invadendo Poloniam, Regnatori Populo immanes &

B

flagi-

flagitiosas, quia plusquam serviles imperando Contributio-  
nes, hæc ipsa tam violenta loquitur Regis Electio. Quam,  
Poloniæ, imparatam & inermem facile fuit opprimere fæci-  
bus hominum in undare Finnis, & Laponibus, quos vel natu-  
ra ipsa tanquam Excrementa hominum ultra Fines ejecit  
mundi; quando qui partes sequuntur illius in mediis Regni  
Comitiis, quærebant Comitia, in Rege Regem, inque Senatu  
Senatum; nec provisionalem quidem Reipublicæ permit-  
tentes securitatem. Quapropter optime illis successit, in tam  
turbido reciprocantium se fluctuum Patriæ Oceano, pretio-  
sos pescari uniones, cum in suo mari, tantum natent haleces.  
Quæ denique Principi Suecici gloria, coronatum impetere  
Caput, per malesana Factiosorum Capita Perduellionem fo-  
vere, innocuam Remp. despoliare, Civium fundere sanguinem:  
quanquam ille in omni plane Historia veteri, Gotho-  
rum nomine & titulo, publicus Europæ audiit semper Prædo-  
Repugnantem habere neminem, invitatores multos, sub spe-  
cioso Hospitis, Amici, Socii, Patroni Libertatis, & Tutoris  
nomine. O quot nominum Larvæ! sub quibus qualia &  
quanta monstra latent. Invictas olim bellatoris populi au-  
reis vincere manubis dextræ, & sic vincere tandem; quas  
manubias aureas, non de Suecia vexit secum, sed paratas in  
Polonia contra Poloniæ invenit, vidit, rapuit. Omnes il-  
lius ponendo sub oculos victorias, cunctas aut est mercatus,  
aut furatus, & sic tamen nec dum Macedoni par Philippo;  
per internas Civium seditiones & discordias, quaesivit semper  
felicitatem scelestam, sub pulchris amicitiae & pacis negotiis,  
turpissime eludendo Regna & imperia.

**V**erit ulterius, licetnè illum tueri principem, qui numero-  
fas inducit in Regnum Copias, sub obtentu defensoris mili-  
tis, re ipsa Prædonis & Raptoris qui sciat nihil rapere, nisi & fugere.  
Justiori longe titulo interrogare posset, Regum Serenif-  
fimus

simus Augustus, licuitne illum in Protectorem libertatis evocare in Poloniam indubiam amicitiae spondendo fidem, qui longe deterius, despoliavit Poloniam, quam Barbarus Scytha posset? Quam gravis illum manet restitutio Tempis DEI, monasteriis, pauperi deniq; Populo, quisquis ruinæ tantæ author extitit, Electionisq; novæ fabricator. Non se reflexit supra Personam suam Neo-Electus, cum Exercitum Sueicum tam diu paratus sit tenere in visceribus Patriæ, ac fovere, quamdiu per vim externam non occupet Solium; Interim vitio vertit Serenissimo Augusto, quod cogente inevitabili necessitate & naturali defensionis Jure, auxiliares in Poloniam inducat Cohortes.

*Solvit denig omnia rationum momenta tanquam Achille invicto,  
quod per Confederationem Sendomiriensem & Comitia Regni  
Lublinensia offensivum Regi Specie fit bellum indictum.*

Verum hæc ratio nullo subsistere potest modo & Achilles hic mole ruit sua, vel enim Constitutiones Comitiorum Lublinensium fuere legitimæ, & debiti valoris, ut revera sunt: Neque enim ab ævo suberant disquisitioni fancita Comitiorum, cur ergo illustrissimus Palatinus Posnaniensis, cum asseclis suis repugnavit. Si vero invalida eadem fancita erant, ergo publicus nobilitatis motus expetendus erat, ut integra congregata Respublica discerneret inter Lepram, & Lepram; sed neque Comitia Lublinensia, neque Confederatio Sendomiriensis, clarigarunt bellum offensivum, sed Defensivum tantum, utpote contra Invasorem & depopulatorem Patriæ, & qui nullis Conditionibus, nullis Tractatis, voluit inclinari ad pacem, & a prima irruptione in Poloniæ factus ipso facto hostis. Non eam gratitudinem exigebat Resp. Quod tam enixe deprecata fuerit bellum Sueicum, & stiterit primos & felices progressus Regios in Livonia, restaurandæ studio Pacis.

**E**xposuit (asserit Stanislaus) R Rex Gothicus in prædam Regna & Imperia sua, tamdiu propositum habens in animo persequi hostem, quamdiu libertatem non reponet in tuto.

Dicere potius debuerat, quamdiu Clarum Cristochoviam montem, Gedanense quoq; Emporium, non recipiet; cum illum, immensa auri sacra fames urgeat. Tunc demum in tuto locatam censem, postquam omnia evacuaverit armamentaria, deq; Polonia in Polonia, nihil reliquum fecerit cineres nisi solos & Campum ubi Polonia stetit, majore longe ex Polonia lucro, quam in Livonia damno. Quare non meretur admirationis notam, quod montes & rupes Regni suis permiserit in prædam, cum ebrius fortuna sua, ea turgeat crapula, omnia damna ista reparaturum se centies in melius, postquam & summum Moscovia Czarum dethronisare incepit.

**C**autam insuper facit Rempublicam, quod Saxonici fuga militis, non imponet finem malis, quamdiu Respublica in Visceribus suis viperas istas fovebit.

Libenter habent Sueci hanc militis Saxonici fugam, quorum vestigia premunt non premendo, testudines non Leones, ut prius ditescant, & tantum fame non emortui, pinguisimo Polonia saginentur pane. Post infelicem Cladem Clissoviensem, ivit Rex Augustus Cracovia Sendimiriam, & sub Oppido Bochnia vix non per media Suecorum Castra, viam sibi fecit. Dissimularunt Sueci non Regem citatis premando passibus, sed Cracoviam in ordine ad diripiendam innocentem Regni metropolim conclusum fuit Præsidarium Thorunio educere militem, negavit pars adversa; non aderant Elbingæ, neq; Leopoli nuper, & tamen etiam ibi quærebantur, ubi non erant, sola prædandi cupidine. Quare non potest esse nocentius Regno Virus, quam Gothicus miles, qui ipsa corredit viscera, non degener a Vipera partus.

Monet

**M**onet iterum ne in auxiliari Saxoniæ milite spes reponatur tota,  
quandoquidem Rex Svecicus, tamdiu potentiam & victoria arma  
sua non deponet unquam, quamdiu intentionibus, suis non fecerit satis.

Nunquam firmam censendo libertatis pacem, quam-  
diu tam male fidum intra viscera sua patietur Regem, Et  
quare in auxiliaribus Saxoniæ Copiis spes reponenda nul-  
la? Ergo manus remittendæ omnino? Superi dabunt  
quod vis unita, evadet tandem fortior, tantosque hostis fran-  
get, fastus, & immanem deprimet tumorem, qui sola  
nostra nisi tumuit ignavia, & socordia, stabilem pacis fidem  
Rex Sueciæ nunquam cum Polonia habebit? quasi vero! Cum  
ipsius Antecessor, primus fregerit, Paëta Olivenſia, facta per  
Curlandiam & Samogitiam irruptione ad Ducatum Prussiae,  
in favorem Galliæ. Concederet eam Numen supremum gra-  
tiam, ut semper Poloniæ timeat, ut ii Sarmatiæ semper con-  
tingant Principes, qui illi pro muro Ahæneo esse possint  
contra invadentis in sultum hostis. Id demum est, quod il-  
lum angit & non conficit tantum, quod eum nactus sit æmu-  
lum Principem, quem Orbis adorat, non dico Sueco parem,  
sed majorem: Ille vero votis exoptat omnibus Regem habe-  
re Blennum, cereum in omnia flecti, & qui posset partes trahi  
in omnes, naso ad unco. Interim ipse irrumperet, invade-  
ret, raperet, susq; deq; everteret omnia vindicias cogitante ne-  
mine, solas nisi immortales referente gratias, per Fœdera  
Pacis æterna, quod vel solam saltim reliquerit terram manes-  
que sepultos, quanquam & cum istis bella gessit inclamantibus  
sepulchris;

Parce pias scelerare manus jam parce sepultis.

**M**onet adhuc, ne super sit quod ad invicem exprobremus nobis, quod  
Ipsi sponte nostram acceleremus ruinam, & plane impetu caco-  
precipitemus Reipublica fata.

Pares hac in parte, ut video facti sumus Concordiae illi,  
de qua monasterii cuiusdam Religiosi annales. Monachus

quidam coram Abbatे suo miseram Luciferi doluit cordialissime sortem, quod propter rupta Pacis cum Deo Fœdera sancta æternis inferni sit mancipatus Cruciatibus, & tormentis. Esse ne modus inquit ad Prælatum, tam adversas reconciliandi partes? Cui cum reposuisset Abbas, nullum omnino superesse, propter intolerabilem Dæmonis superbiam: Ille tamen restaurandi inter Deum & Erebum Fœderis studio maximo, successu nullo, suscepit Provinciam. Post Conferentias cum angelo malo pluri mas, certaminaq; rationum multa, evicit tandem Dæmonem apud, quatenus magnum Pacis inciperet negotium, gestiente pro lætitia monacho, & vix jam non ad ipsum DEI evolante solium. Locus Concordiae Templum monasterii, quod dum nocte concubia, Religiosus pro matutinis more suo adit, ecce obviū habet Dæmonem, qui illi propositionem talem fecit: Heū tu cucullate! sed quis post peracta feliciter Fœdera Pacis, primus adorabitur? Reposuit monachus: Tu primus debebis divinam accedere majestatem, tanquam supremi Creatoris tui, prima quidem, impar tamen infinite Creatura: Vix non totius Erebi excanduit ignibus Dæmon, primos sibi vel ab ipso Deo deberi cultus afferens: Audiit monachus, & quantum nuper, gestiit lætitia, tantum hodie dejectus mœstitia, & dolore. Ergo jam post Fœdera Pacis! Hæc demum est diabolica in Polonia nostra superbia, quæ nos perdit, perdetq; hæc supra paritatem extollit æmulatio, discordia, & deponendæ nunquam iræ, quam propter superbiam & contumacis fastum animi, ignes cum Dæmone patimur infernales Sueorum.

**Q**Verit Electus qvid tandem spei religvum! si immotus folio suo Regali manserit Augustus: Hec nisi fortè spes manet unica, quod membris suis destituta Res publica & plane detruncata omnibus, in capax defensionis, prædam manebit furentium.

Quis

Quis illam inermem, certe non Augustus, qui neminem perdidit Civium, studet servare cunctos, Tormentum ex Polonia in Saxoniam evexit nullum, imo ex Saxonia in Poloniā invexit omnia? Civitatem & urbem dejecit nullam nisi forte ille qui totius Poloniae spoliis Stockholmiam implevit totam: Qui Cracoviensia, Thorunensia Elbingensia, Varsaviensia, Leopoliensia diripuit armamentaria. Sed nolo infandum renovare dolorem. Quis ergo tam insanum concipiet sensum unquam velle Suecum Poloniam ad pristinum Libertatis reducere florem & vigorem qui illam per tantam desolationis abominationem, defloravit & deflorat. Quæ mihi Regna manebunt? solæ nisi fluctuabunt aristæ, ubi Troja Lechia fuit. Infelix Iolium, steriles dominabunt avenæ.

**I**Domne studium Regis Sueciae fuit, ut per inceptum Pacis negotium toti ostenderet mundo, illam demum summam Victoriae suam cunctosque triumphos, si nostrum tranquillaret imperium: sed quæ suprema fortis nostræ infelicitas, quando stessa Civium studia in partes distrahabunt contrarias, illis bella volentibus, pacem possentibus illis.

Sors Regis Sueciae suprema, quæ vota quoq; excessit ipsa, quod tam impune grassantem per viscera Regni patimur tranquille. Et hæc est tranquillitas nostra Finnicò soporati lethargo per cognata Gentibus illis beneficia, aurem in utramq; indormimns, non tam somnum quam ipsam efflantes animam, & nec de supremis jam Patriæ somniamus fatis. Pars magna, vix non ultimos ferunt & incolunt angulos non est qui recogitet mala Patriæ, supremi Exercituum Imperatores & Duces pacifici. Nobilitas super abunde habet, quod nudis licet dominatur, tamen in aulis. Miles lascivit in hybernis tranquillitas magna, felicitas summa Vandalorum Regis, tam altissima abuti malitia, ad prædas & spolia furtaq; sacrilega. Et ita concludit Stanislao necesse est ut refloreat Polonia: sed prius

prius fameta & stercora omnia fungos & boletos proferent omnes,  
quam tulipam unam.

Protestatur ad extremum Electus , ab illo primo temporis pun-  
cto, quo sibi magnam Reipublicæ potestatem omnes Reipublicæ sta-  
tus (risum teneatis amici qui discitis nymeros pueri, unus Posnaniæ  
Episcopus , status Reipublicæ omnes? O vastam Præsulis mentem,  
totius Compendium Poloniæ) concrediderunt ab illo inquam tem-  
poris puncto nullam se injuriæ illius deditæ an sam.

Huc superos omnes, & inferos? O male factum conscientiæ E-  
xamen? non alium cuncta loquuntur tantum Authorem injuria-  
rum Te nisi: qui jam cum impiis dum in profundum veteris, con-  
temnis; non emersurus aliter nisi ad Promontorium bonæ an malæ  
spei, sub moenibus Stockholmiae.

**C**oncludit tandem si penetrantes Cœlum fissere lachrymas pauperum effica-  
citer vultis, si tranquilitatem restabilire publicam, ne jam amicis dis-  
fidite tantis.

Nunc demum invenimus scirpum in nodo, istos qui in Tute-  
lam Patriæ evocaverit amicos, quos manutenet. At absorbiisset uti-  
nam amicos tales terra! qui non amicis, sed sibi ipsis vivunt, & spoliis  
amicorum. Nec mirandum, de ipsius luditur cute, & corio, ne tan-  
dem audiat: Et Regem non fecisti, & Senatorem amisisti.

**P**ost hac tandem omnia blandissimo , quales puerorum esse solent, alloqui-  
tur ore, Polenos ; optantne ut quæ sit vis libertatis Polone & robur, in  
Personam sua orbi representet toti: tum dignam se, concipiet in DEO fdu-  
ciam, quod tanto non deerit Operi.

Ex omnium sensuum, mi dilecte Stanislae respondeo tibi, nemini-  
nem optare! neminem! revocant in memoriam imo, de Saule scri-  
pturam: Non vales resistere Philisteo , quia puer es, hic autem est  
Vir bellator ab adolescentia sua. Utinam ejusmodi libertas, qualis  
incepit ad infaustissimam Electionem tuam, in Persona , & cum Per-  
sona tua simul , & semel pereat æternum: Sicut firmissi-  
mam in DEO reponimus spem, quod male  
copta pessime finientur.

FRAGM. II.

five

MANIFESTATIO

*Illiſtrissimi Domini,  
Domini*

**Hieronymi Augu-  
ſtini Principis  
Lubomirsky,**

**Castellani Cracoviensis, supremi Exerci-  
tuum Regni Poloni Ducis.**



## Oientes, ut Actiones &

Opera Nostra Orbi pateant, totiq;  
Reipublicæ Polonæ, innata quoq;  
Virtus, fides, & Amor in Patriam  
noſter ſub cenzuram non cadat, fi-  
niſtrasq; malevolorum interpreta-  
tiones, quibus rerum ignorantia  
magna, odium noſtri ſummum;  
Conſtituimus publicum mani-  
ficationibus instrumentum, in publicam edere lucem, in quo,  
veluti in ſpeculo, Orbis videat universus, quæ illæ demum ra-  
tiones fuerint, quæ nos ad Confoederationem Majoris Polo-  
niae pertraxerint, & quæ iterum ab eadem retraxerint, ut tan-  
dem ad Corpus Reipublicæ accederemus, Caputq; illius, Se-  
reniſſimum AUGUSTUM Secundum, Principem legit-  
imum & Regem Noſtrum.

Itaq; ante omnia, citra jactantiam omnem, liceat mihi,  
vel innuere ſaltem, quomodo, Majorum meorum inſiſtendo  
veſtigiis, quorum fuit gloria ſumma, aureæ tutela Libertatis,  
Legumq; Patriarum, etiam cum proprii diſpendio ſanguinis,  
Fortunarumq; jactura; quomodo inquam iſum ætatis flo-  
rem, quia decimum octavum annum militari Reipublicæ  
conſecraverim obſequio, produxerimq; ad canos & ſenium,  
nullam omnino omittendo occaſionem bellicam, omnibus  
quoq; Reipublicæ aſſiſtendo conſiliis.

Ivi

Ivi per gradus ad Honores, tandemq; asscutus supremos  
in Castris & in Senatu, Obligationis meæ semper sensi debi-  
tum, ut rejectis quam longissimè respectibus omnibus,  
Interesseq; privato, primum & maximum darem ex Persona  
mea Concivibus exemplum, quatenus, ad ultimas redactam  
incitas Rempublicam, unitis animorum & consiliorum re-  
mediis, juvarent & salvarent, restituto in integrum, antiquo  
Legum Libertatisq; statu, cuius vel ipsa jam mota sunt, & e-  
versa fundamenta.

Perpendebam necessitatem Pacis, post tam diuturnum  
cum Porta Othomanica bellum, quo, per annos circiter viginti  
impliciti fuimus, & cujus continuandi gratiâ, numerosam  
aluiimus militiam, Regnumq; exhaustimus per contributiones  
summas. Dimisimus tandem magna ex parte militem, sub-  
veniendo quasi nimiis contributionum exactionibus, inté-  
rim, reliquus mansit sine stipendio, sine numero pleno, mi-  
les: præcipue vero gregarii & pedites, in quibus robur mili-  
tiae summa: Sicq; factum, ut in spem Pacis conclusæ disar-  
maverimus Rempublicam, incapacemq; reddiderimus, pro-  
trahendi diutiüs belli. Quæ omnia movebant me unicè,  
ut huc omnes omnino, intenderem curas, & conatus meos,  
quatenus dimisò cum Suecis bello, Tractatus arriperemus  
Pacis.

Itaq; glacente, libertatem inter, & Majestatem, diffi-  
dentiā, ex occasione, inchoati cum Suecis belli, odiis & dissen-  
sionibus inter Cives, scissis partium studiis, adferentibus me-  
delam nullam Comitiis & Consiliis quinimo exacerbantibus  
magis animos Civium, efficaciora mihi nulla videbantur re-  
media, quam ut generali facta Provinciarum Palatinatum,  
Terrarum, & Districtuum, Confederatione, quæ non depen-  
deret à Majestate, methodo non semel jam practicata, omni-  
bus

bus istis inconvenientiis, unitis animis, viribus, consiliis, obviaretur.

Quare vero independentem à Majestate, optabam Confœderationem, ratio est, ut in ordine ad Tractatum Pacis, Rex Sueciæ, promptius acceptaret mediationem Reipublicæ, cuius se amicum jactabat & Patronum, Regis vero hostem, & inimicum, quem persequebatur armis, communem cum Republica, volendo habere causam. Et revera, nullum decebat magis arripere meditationem quam Rempublicam, nimium quam passivam, inter tot onera belli, ut quam citissime exoptatam votis omnium concluderet Pacem, quam per Confœderationem Generalem unita, & citius affequi potuit, nec Rex Sueciæ negare; Quare vero Rex Serenissimus noster, non debebat nomen interponere suum, ratio est, quia agebat partem in hoc quasi judicio, jam autem nemo in sua causa judex. Et hæc eadem ratio fuit, quare non acceptavit mediationem Commissariorum, quos Respublica ex mente Comitiorum Regni delegavit, quia Regiam repræsentabant personam, non recusavi vero Tractatum cum Republica, per Confœderationem Majoris Poloniae, ex quo separatim à Majestate, negotium Pacis suscepérat.

Hæc igitur habendo motiva & considerationes, ut seorsim à Majestate, verum non contra Majestatem, Generalem ingredreretur Confœderationem Respublica, videndo præterea quod Major Polonia hanc & non aliam arripuissest viam, circa tuitionem Libertatis & Majestatis, censui illam optimam, & Paci concludendæ perquam idoneam. Et licet non vanæ exoriebantur suspiciones, quod paucorum molimina haberent aliquid in recessu, & pro ulteriori objecto, spes tamen affulgebat, quod Respublica tota per Confœderationem Generalem congregata, facile dissipatura erat pessimas intentio-

tentiones illas. Et hæc ratio fuit, propter quam, amicis meis suadebam omnibus, scriptis etiam epistolis ad omnia ferè Comitiola, ut pro bono publico, ad communia Confœderationis accederent Consilia, in eo semper supposito, ut dum selectissima è millibus Capita mutuo consularent, ea Regi Sueciæ proponerent securitatis media, quæ fundamentum haberent, in solidis tranquillandi Rempublicam mediis, & non nocivis dethronisationis conatibus, ex quibus Pacis loco, gravissimi erupturi erant, populi discordantis motus civiles. Indubie congregata in unum Respublica permisisset nunquam, inauditos dethronisationis terminos, perpensis bene in publicum nocivis Consequentiis, præsertim cum ad manus essent media alia, quæ & Regem Sueciæ contentarent, & prouiderent securitatem Nomine Serenissimi Regis Nostri: sive que interna Libertatem inter & Majestatem firmaretur optimè confidentia, quæ in vim præparamenti benè ante Confœderationem proposui omnia; Inquantum vero non acceptasset optimas securitatis inventiones, tunc aperta patuisset hostilitas, finisque longe diversus ab eo, viscera ingrediendi Poloniæ, quam quem declaravit publicè ab initio. Respublica autem per Confœderationem unita, & Viribus propriis Principumque Vicinorum auxiliis per Colligationes & fœdera defendisset se strenue contra vim Suecicam & potentiam; Mens quoque mea fuit, ut exercitus etiam Regni, eodem Confœderationis colligaretur vinculo, propter robur majus, & ideo ordinaveram, ut Generofus Biernacki, quem copiis in Majorem Poloniam submissis præfeceram, Illustrissimum Palatinum Pôsnaniensem sequeretur, & Confœderationi assisteret. Non celabam intentiones meas, pulcam agebam omnia, nè cogitando quidem quod in detrimentum vergeret Patriæ, spem imo concipiendo plenam,

C. 2.

quod

quod mihi in censum magnorum apud Rempublicam meritorum cessura essent media , quæ proposui, acceptata modo fuissent, per accessum omnium ad Confœderationem Majoris Poloniæ. Verum aliter fata publica r̄es direxerunt nostras, facta Confœderatione altera in Minoris Polonia , quæ se opponeret Confœderationi Majoris Poloniæ: quæ non expensis bene intentionibus optimis una mecum sentientium, omnes meas ad optatum Pacis finem tendentes stitit dispositiones, sicutque cordialissimi conatus mei, nihil nisi merum Patriæ spirantes amorem , in demeritum abierunt, subordinata mihi in corde Principes, ab ipso statim belli initio per infensissimos nomini meo hostes, diffidentia , pessimasque optimarum licet actionum mearum , commentationes & commenta.

Diu enumerare deberem delationes sinistras, quarum prima & maxima, quasi parti adhærerem Suecicæ, licet alia longè sinceri candoris mei dederim toties documenta, emissis frequenter Copiis, Sueicum carpendo & cedendo militem, captivosque omnes ad Serenissimam AUGUSTI remittendo Majestatem. Traducebar per Palatinatus, plusquam scriptis infamibus, bellici conatus mei ruinabantur, avocando ab imperiis meis militem, Consilia mea, quos non habuerunt interpretes? plusquam septuaginta, illosq; malevolentissimos omnes. Ad extremum Exercitum contra supremam Ducis & Imperatoris summi potestatem sollicitarunt, euntem me in ordine ad Commissionem Thesauri Regni Radomensem , parte militis notabili sub præfectura nominati Generosi Biernacki, spolarunt, sparso inter militem vinculi fomite, me ut publicum Patriæ hostem persequi, minas inter & diras declararunt: Comisionem Thesauri ne inchoare quidem permise-

miserunt, Acta Cancellariæ obfignarunt, Officium, ne compareret, contra morem omnem, prohibuerunt.

At omnes isti conjurati contra me impetus, constantem animum meum, ne minimum infregerunt quidem, plenum fiducia quod tranquillatæ tandem Reipublicæ feliciter finis, revelabit benevolentissimos erga Patriam affectus meos. Suscepit tandem Radomia Varsaviam iter, exemplo volendo præire meo, ad arripiendam in publico, Regni naufragio tanto unionis mutuæ tabulam, & ecce in ipso Varsaviæ limine nefandum Exvinculationis reperi instrumentum. Vidi, legi & cordialissime indolui, huc primos & summos vertendo conatus meos, ne infame illud publicaretur instrumentum, cum firma spe, quod accessus Palatinatum Minoris Poloniae, facilitaturus esset resolutiones violentissimas Confœderationis Majoris Poloniae, interim in Minorie Polonia, contraria aguntur omnia, quæ infelici Reipublicæ fato, infaustoq; Regni debent adscribi astro, quod Confœderatio utraque nescierit, an noluerit cointelligentiam habere mutuam, imo quod Confœderatio Sandomiriensis, loco blandissimæ invitationis fraternæ, ad feralia processerit Decreta, sicque, exulceratos jam, irritaverit magis animos.

Mihi vero sine milite Duci, per potentiam Sueciam plane captivo, per decreta infami, per domesticam familiam meam, suppellectilemque omnem, in bona fide Varsaviæ alligato, in tam extremis laborantis supremum Fortunæ meæ angustiis, quid facto opus fuit? Varsavia excedere impossibile fuit, quando jam ministrorum Sueciæ imperium, nihil usurpabat aliud, nisi plusquam Tyrannicum illud, sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas. Defecit interim modus, detinendi diutius publicationem exvinculationis, & sic crescentibus odiis, ventum ad abrupta, ut ominosus tandem assu-

gnare-

gnaretur Electioni dies, inter violentas magnorum Sueciæ Commissariorum expostulationes, quam ego Electionem damnavi semper, & cuius initium ab exoptato Pacis tractatu, ducendum censui semper, obtenuit quidem Tractatus, interim ut mora sanaret, quidquid præcipitania corruperat. Verum, de die in diem, sub prætextibus variis, traherant morsas Commissarii Sueciæ, declararunt tandem non se prius ad tractatum accessuros pacis, quam certus Electioni præfigeretur dies, quam licet inviti determinavimus, tamen effectu Tractatus elusi sumus, quem diffugiis protaxerunt variis, donec eventu pessimo finiretur Electio.

Hactenus descripta rationum momenta movebant me, quatenus ad Confederationem accederem Majoris Poloniæ; testor amicos meos, maioresq; exceptione omni Personas, quibus cum in materia hac agebam & tractabam, dabunt veritati testimonium, quounque demum tempore, quod Patriæ perquam voluerim optime. Recesi vero ab eadem Confederationis Unione, quia sicut accessi in bona fide, & recta Conscientia, absq; ullo pacto, vel privato commido, unicotentum intuitu Reipublicæ pacandæ, restaurandarum Legum Libertatisq; causâ, quæ jam extra orbitam erant omnem; ita videndo medicinam morbo pejorem, Juraq; omnia susq; deq; versa, recessi ab illa, gremium Reipublicæ pro vindicandis Legibus Patriis repetendo. Degenarem me ab avita Majorum meorum virtute jure merito totus possit censere Orbis, nec pro vero Patriæ reputare filio si illi faverem parti quæ basim & fundamentum status Regni, Legum Liberratumq; Patriarum, in liberrima fundatarum Electione everit violenter, corruptæq; maximæ prærogativæ, liberæ Gentis scandalosum ad posteritatem exemplum, vicinis tradidit Regnis. Quisquis in Polonia Generosi nomine, at magis Virtute

Virtute gaudet, in extremam rapi admirationem debet, illa Electionis defixus methodo quæ non per libera suffragia, verum per violentam impositionem subiecta est peracta: etenim validas in Campo Electorali contemnendo persuasiones, permittere noluerunt passionata subiecta, quatenus Electionis actus ultra diem limitaretur Sabbathi, quæ præter rationes intimatas, cum esset illegitima, & nulla juxta leges & morem, per duas adhuc septimanas continuari deberet, neq; sine unanimi omnium consensu, abbreviari posset, his tamenstantibus omnibus, prænominato die, per contumaciam summam, & per vicaciam, absoluta voluntate, contempto jure vetandi, finita fuit. Consentem Me, aliquot ante dies, recularunt audire, cum optarem limitandum omni Electionis actum, agendumq; ante omnia negotium pacis, pro informatione Fratrum & Reipublicæ totius. Verum fabula surdis, accepto responso nullo, omnes rationes meæ, clamores inter, & intendatas mihi suppressæ minas. Vicerunt postea violenta consilia, neq; latuit omnes, quibus mediis Elecio ista inchoari, continuari & concludi debuit, quantoq; apparatu, quæ omnia criticus, & fatalis Patriæ dies Sabbathi, effectu evolvit ipso. Præsentiendo igitur, quanta Electioni liberæ, violentia inferenda esset, communicato, cum Senatoribus bene sentientibus, & aliquibus ex ordini Equestris Deputatis, Consilio, præcipue ex Palatinatu Podlachiensi, ut acerribus libertatis propugnatoribus, quorum notissima ex fama publica debent esse nomina, tribus ante illam diebus, à publico abstinuimus Conveutu, subtrahendo Nos à vexatione, præ determinati ad facinus tantum populi, cumq; dies Sabbathi venisset, quo ad effectum conditæ deduci intentiones debebant, suadebamus (privatum de mane apud Primate Regni, tractantibus negotium pacis) Dominis Commissariis aliquibus, quib⁹ Electionis cura ante alios prima demandata fuit, ne præcipitarent illam, Sed quia jam, cum Dominis Commissariis Sueciæ, conventio facta fuit, cecidit super petram, granum persuasione optimæ, decurtabat enim tempus sessionis dictæ, Generalis Horn, principalis ad Tractatum Commissarius, ut quam primum ad Electoralem descederemus Campum; cumq; tamen moras de industria traheremus, impatientia abreptus, his Verbis usus est latinis: Omnino debet esse hodie Elecio, & ego non dormiam ad medium noctem donec finiatur. Et perfecit omnia facile, cum enim comparuissem in Campo subordinata subiecta, nixa ipsius potentia (non auditis

D

recla-

reclamantium continuo, per horas aliquot vocibus, monentiū quoq;  
 postulationibus, ut liberae mos servaretur Electionis, quin & ipso Con-  
 federarionis Marechalco contempto, qui generosissimum diu pro  
 Libertate opponebat pectus suum, vocemq; donec diurna lassatus  
 vociferatione, ipsam tandem, projecerit de manibus, virgam dire-  
 ctionis, proculq; campo excescerit) nixa inquam Potentia Generalis  
 Horn & præsentia, tragicæ scenæ huic ominosissimum tandem impo-  
 fuerunt finem, tenebras inter occidui jam solis. Accelerabat, finem  
 Armata Hornii persuasio, diligentissime notantis omnes, qui contra-  
 dicerent, numeroso stipabatur pedite, nec non Equite milite Sueti-  
 co, circum circa disposito, inter minas, quod indubie illorum omnium  
 bona, per ignem in cinerem & favillam redigerentur, quicunq; con-  
 tradicerent. Occupaverant portas Colonelli, aliq; militis Officiales,  
 & præfetti finem comœdiæ avidissime expectantes; Absentavimus  
 Nos Senatores prædicti, à tam funestissimo scenæ spectaculo, nolen-  
 do habere partem conculcatæ Electionis liberæ, maximiq; in Gente  
 libera clenodii, dolendam semper, delendam vero nunquam, effu-  
 giendo apud posteritatem maculam, & notam. Ad singulos oostrum,  
 seorsivi expediti sunt legati, qui persuaderent accessum; Ego meis  
 gratias habui Legatis, pro honore invitationis excusando Me, quod  
 nolle in persona mea, parentare Libertati adesseq; funeri, sufficiet  
 in corde dolor, quo sepultam deplorabo semper Electionem Liberæ,  
 continuo, contra tam violentissimam protestando actionem, suaden-  
 do, rogando, quatenus tam subito violentas Reipublicæ non inferrent  
 manus, ad diem Lunæ limitando sessionem. Idem præstitit magnus Re-  
 gni Primas, Palatini quoq; Siradiensis & Podlachiensis, & si qui reli-  
 qui fuerunt alii. Frustra omnia apud illos præcipue, qui jam juris non  
 essent proprii, verum jussis externis parere coacti. Vix aliquot no-  
 tabiliores, poterant numerari personæ, per quarum contumaciam  
 hæc stetit Eleçio. Et istis demum mediis, tam infausta, nigroq; ad Po-  
 steritatem calculo notanda Epilogum accepit Tragedia. Nihil de  
 ceremoniis servatum, neq; enim, persona Primatis nominavit Ele-  
 çum, neq; terna præcessit interrogatio, de mutua, contradicente  
 nemine Populi eligentis concordia verum Pseudo-Primas, ad hunc  
 actum subordinatus, simpliciter & non servatis debitis ceremoniis  
 illum nominavit, Elector vero populus, ingeminabat vivat, inter ru-  
 gientis, tonitrua & fulmina Leonis Suetici, explosionesq; sclopetorum  
 frequen-

frequentes. In Ecclesia vero, loco promulgationis per Mareschalcos Regni, à Bartholomœita, hoc est è numero inferioris Cleri, quodam, ex Cathedra promulgatus, Paœta Conventa non lectaneq; juramento firmata, quæ tractatum precedere debent, qui Tractatus ipse, vix tandem inchoatus, totam rei seriem debuit typis mandasse Pseudo-Primas idem, mandavitne? ignoro, neq; inquirere vacavit tanta rei novitate attonito. Post Electionem ejusmodi, per quinq; solidos dies non extuli domo pedem; verum monitus quod Sueci graviter ferrent, quod Neo-Electum non visitayerim, coactus sum visitare, conservationi personæ meæ, & indemnitatí domesticorum studendo, sed declarationem accessus nullam omnino feci. Et nisi tota mea familia domestica, cum mobilibus & suppellestili oblitisset, indubie, in crastino post Electionem, non vidisset Me amplius Varsavia, debui itaq; habere patientiam, donec se commoda offerret occasio, eliberandi Me à violenta per Suecos residentia Varsaviensi. Ergo, appropinquante Serenissimo Rege nostro cum instaret dies transmigrationis, dilabentibus omnibus, ego quoq; deserui Varsaviam cum toto Exercitu, quem immediate post Electionem, adduxerat Succamerarius & Castrorum metator Regni, quam longissime recedendo, ab Exercitu Suetico, donec cum Republica tota convenirem. Quod hic & nunc facio, fortunent superi! ut quam passu felicissimo, cum summa cordis mei satisfactione, licet in tam gravissima publicæ fortunæ meæ & privatæ jactura. Accedo igitur ad Rempublicam & Serenissimum Regem nostrum, legitime nobis dominantem, ad quem cum jam tota plâne accesserit Respublica, mihi quoq; perquam gratissimum erit, una cum Patria mea, prosperis seu adversis, sicut DEUS vollet, fataq; disponent, ut: Reliquum dierum meorum & fortunarum consecrando conservationi integritatis Reipublicæ, ejusq; status pristini, cum Legibus & Libertatibus, sanguine Antecessorum nostrorum partis & acquisitis, & Majestate deniq; Regis Serenissimi AUGUSTI.

Hanc ergo redactam in Synopsim publicarum transactionum seriem, & Curarum mearum circa bonum universale deductam, sub totius mitto Reipublicæ Censuram, ut tandem informetur, videatq; actiones meas ex descriptis in manifestatione hac argumentis & documentis, rejectis omnibus interpretationibus finistris, & suspicionibus pessimis, sparsis in publicum, ab infensis nomini Meo hostibus, qui odio Personæ meæ, fidem meam, apud Rempublicam pessundare co-

nantut, solo non nisi ambitu interesse privati, coram Cœlo & mundo  
semel pro semper manifestando, quod solo ductu, & intuitu boni  
Communis, & tranquillitatis publicæ, studio corrigendi Leges & Li-  
bertates Patrias, ad prædictam Majoris Poloniæ accesserim Confœ-  
derationem. Nunc vero, evitando Complicitatem conculatæ Electionis  
liberæ, per legem illius principalem, venio in unum Corpus, uti-  
nam feliciter totius Reipublicæ, quæ jam reunitur, una cum illa vo-  
lendo leges restaurare violaras, invocando Palatinatus omnes,  
Terras, Districtus, & quemlibet in particulari Concivem, ad u-  
nionem, propter Consilia capienda, defensionem Reipublicæ, id  
animitus exoptando, ut re jectis quam longissime, respectibus omnibus,  
timore & indifferentiis, non spectemus successus partiū, sed qui-  
libet nostrum, viriliter velit juvare Patriam, duce virtute & fortitudine  
ne majorum nostrorum qui propter tutelam suam, & celebrandam  
apud Gentes exteris nominis Poloni famam, Vitas & Fortunas con-  
secrarunt omnes, ut tandem per suscepsum justissime bellum, quan-  
do spe pacis excidimus omni, violatas vero vindicare Leges nostrum  
interest omniū. Tandem exoptatam assequamur pacem, videamusq;  
in diebus nostris in antiquo statu, & pristino flore revirescentem  
Reipublicam. Quæ pro candore amoris mei erga Patriam cum ex-  
presserim, hancq; justificationem actionum mearum fecerim. Prote-  
stor ad extremum publice, contra violatam Electionem liberam, quæ  
per violentiam impositionem subiecti sub armis Suecorum peracta:  
Item Protector, contra Personam illegitime nominatam pro Rēge,stantibus protestationi-  
bus, & oppositionibus, publice in Campo factis, in præjudicium & in absentia integrarum  
Provinciarum, Palatinatum, Terrarum & Districtuum, contra usurpatam indebitè præ-  
rogativam Primitalem in nominando Electo, denique contra omnes in particulari illos,  
quorum opera stetit, ut ius vetandi frangeretur, violentissimæque finis imponeretur Elec-  
tioni, inandicis contradictionibus & protestationibus, habendo hos actus omnes, pro irri-  
tis, & nullis, & qui subsistere nequeunt, salvo statu Reipublicæ.

Quod fuis in præsentia totius Reipublicæ deducere paratus sum, persuafus plenissimè  
de Clementia Serenissimi Regis Nostrj, Domini Domini Clementissimi, & de recta Justitia  
Reipublica, quod actiones nostras juxta restitudinem Intentionum mearum librabit, pen-  
derabit, & imperfecto vinculo Confidentialia, resumet tandem animos, ut quam citissime im-  
ponat bello finem, educat ex limitibus, hostem, exoptatam vero reinducat Pacem, conser-  
vanlo in solidum, integritatem Regni & Status Reipublicæ.

Quam manifestationem, propter pondus autoritatis majus, & certitudinem, manu sub-  
scriptam propria, pro majori robore, in Acta publica placuit authenticare. Actum Cracoviae  
die 21. Nov. A. 1704. Lubomirski Castellanus Cracoviensis supremus Exercituum Regni Polo-  
niarum Dux. Manu propria, Cujus quidem Manifestationis Originale, penes Acta remansit.  
Actum in Castro Cracoviensi, Sabbatho post Festum Præsentationes Beatissima Virginis  
Marie, proximo, Anno Domini, Millefimo Septingentesimo Quarto.

(L.S.)

FRAGM. III.

five

*Illusterrimi ac Reverendissimi  
Domini  
Nuntii Apostolici,  
EPISTOLA  
ad Episcopum Posnaniensem  
quâ  
Eidem suspensio  
ab officio  
intimatur.*



Horatius Philippus Spada Dei & Aposto-  
licæ sedis grafiâ Archi - Episcopus Thebarum, Sanctissimi  
Domini nostri D. Clementis divinâ providentiâ Papæ XI.  
Prælatus domesticus, & Assistens, ejusdemq; & Serenissimæ  
Sedis Apostolicæ apud Serenissimum AUGUSTUM IIIdum  
Poloniæ Regem potentissimum, totumq; Regnum Poloniæ,  
& magnum Dūtucam Lituaniæ cum facultatibus Legati de la-  
tere Nuntius, nec non ad Sacram Cæfaream Majestatem ex-  
traordinarius designatus, & ad infra scripta peragenda  
ab eodem Sanctissimo D. N. Papa specialiter  
delegatus.

**D**ilecto nobis in Christo Illustr.  
ac Reverendissimo Domino Nicolao Swie-  
cichi Episcopo Posnaniensi salutem in Domi-  
no sempiternam!

Cum Sanctissimus Dominus noster D. Clemens Divina  
providentia Papa hujus nominis undecimus per suas literas  
expeditas, in forma Brevis, sub Dat. Romæ apud Sacram  
Mariam Majorem, die 8. Augusti præsentis anni, nobis aper-  
te mandaverit, quatenus contra Illustrissimam ac Reveren-  
dissimam D. V. super non nullis excessibus, de quibus apud  
San-

Sanctitatem suam accusatur , processum instrueremus , cum  
 facultate , eandem ab Ecclesiæ & Diœcesis suæ Posnaniensis  
 administratione in spiritualibus suspendendi , dictæque Ec-  
 clesiæ & Diœcesi de idoneo administratore providendi , fru-  
 ctus insuper , redditus , ac proventus ad Mensam Episcopalem  
 Posnaniensem quoquomodo spectantes , sub Sequestro po-  
 nendi , aliaque faciendi , de quibus latius in dicto Brevi , ac  
 demum ad ea peragenda necessarias & oportunas faculta-  
 tes speciali Delegatione nobis concesserit . Nos præfata  
 Sanctitatis Suæ mandata , ea quâ par est reverentia suscipi-  
 entes , ac debitæ executioni demandare volentes , Illustri-  
 simam ac Reverendissimam D. V. (attenta præsertim sui  
 ipsius absentia , nec non custodia , sub qua Ejusdem Sancti-  
 tatis Suæ nomine detinetur ) à spirituali Ecclesiæ & Diœcesis  
 Posnaniensis administratione suspendendam fore censemus ,  
 prouti defacto per præsentes has literas suspendimus , ac pro  
 suspenso ab omnibus haberi volumus , ac declaramus quo-  
 ad usque per Sanctitatem Suam , vel per Nos ejus nomine  
 aliter provideri contigerit . Quocirca Illustriſimæ ac Re-  
 verendissimæ D. V. in virtute sanctæ obedientiæ , eadem A-  
 postolica authoritate , qua in vim præfatæ Delegationis fun-  
 gimur , serio inhibemus , ne à die , qua præsentes sibi exhibi-  
 tæ fuerint , vel quocunque alio modo dispositio hæc nostra  
 sibi innotuerit , in dictæ Ecclesiæ & Diœcesis Posnaniensis  
 spirituali administratione (præmissa suspensione durante)  
 ulla ratione se ingerere , neque administratorem sive Admi-  
 nistratores , ac officiales à Nobis deputandum , vel deputan-  
 dos in exercitio commissi sibi muneric directe vel indirecte  
 turbare , ac molestare , ac denique fructuum , redditum , &  
 proventuum ad mensam Episcopalem Posnaniensem spe-  
 ctantium sequestrationem de mandato nostro faciendam  
 ulla-

10115.01

2 (32) 25

ullatenus impeditre præsumat, alioquin Sanctitatis Suæ, &  
Apostolicæ Sedis indignationem se sciat omnino incursuram.  
In quorum fidem. Datum Cracoviæ die 22. Novem-  
bris 1704.

H.P.Thebarum Archiepis. Nuntius  
Apostol. & Delegatus.

(L.S.)

Adalbertus Sluvanczycki Cancell.

Vd 18

ne

**ULB Halle**  
006 205 739

3





